



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. Vtrum anima rationalis sit immortalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

omni sensui, non potest pendere à sensu: sed operatio voluntatis est sæpe contraria sensui: ergo non potest pendere à sensu.

Denique argumentor efficaciter. Ille actus est omnino spiritualis, cuius formale obiectum, & modus tendendi in obiectum sunt spiritualia: obiectum formale & modus tenendi, quo voluntas per amorem tendit in Deum, sunt purè spiritualia: ergo actus voluntatis est purè spiritualis. Minor probatur, quia quando voluntas Deum amat amore amicitiae, amat illum formaliter propter infinitam eius perfectionem, propterea est in se: illa perfectio est aliquid spirituale: ergo formale obiectum amoris illius est aliquid spirituale. Neque dicas; amat illum duntaxat ut cognitum ad modum corporum. Contra. Cognitio illa phantasiae concomitans non se tenet ex parte formalis; non enim voluntas amat illum ut sic cognitum, sed propter solam perfectionem ut est in se, quæ purè spiritualis est: igitur obiectum formale illius actus est aliquid purè spirituale.

Obicitur primò. Illa operatio est materialis, quæ in suo esse pendet à materia: operatio intellectus pendet à materia; nemo enim unquam intelligit sine aliqua operatione phantasiae: ergo corporea est. Dices intellectionem pendere obiectivè tantum à materia, non subiectivè. Contra. Non colligitur independentia subiectiva ipsius animæ à corpore, nisi ex independentia obiectiva: intellectus obiectivè pendet à materia: ergo pendet etiam subiectivè.

Respondeo distinguendo maiorem. Illa operatio est materialis, quæ in suo esse pendet à corpore tanquam ab organo & subiecto, concedo; tanquam ab obiecto concomitante, nego. Intellectio non pendet à corpore tanquam ab organo & subiecto, sed tanquam ab obiecto concomitante. Ad instantiam verò, quæ addebatur: Intellectus si pendet obiectivè, pendet subiectivè, distinguendum: si pendet obiectivè per accidens tantum & concomitanter, nego; si pendet formaliter & per se, concedo. Fateor intellectum pendere obiectivè à corpore per accidens & concomitanter, nego pendere formaliter & per se. Ideoque nego illum pendere subiectivè à corpore. Tunc aliquid pendet obiectivè à corpore formaliter & per se, quando non potest unquam in illo statu transcendere id quod species sensibilis repræsentat; tunc autem per accidens, & concomitanter tantum pendet obiectivè à corpore, quando ratione status unionis cum corpore, quem amittere potest, exigit adiunctam habere repræsentationem sensibilem, etiam si possit eam etiam transcendere; anima unita posteriore hoc modo pendet à corpore, quia exigit quidem quandiu est unita, coniunctam habere operationem materiale, sed eam tamen transcendit cognoscendo discrimen rei spiritualis à re corporea, & negando eam esse corpoream. Imò & potest amittere illum statum unionis, extra quem est omnino independentis ab omni corporea repræsentatione.

Obicitur secundò. Operatio finita & potentialis potest attingere obiectum infinitum & actum purum: ergo potest operatio materialis attingere obiectum materiale.

Sed hoc argumentum sæpius solutum est disp. 3. cum egi de obiecto sensuum, & nuper in prima probatione spiritualitatis animæ; discrimen enim magnum est inter obiectum spirituale, quod nullam habere potest proportionem cum potentia & operatione materiali; & obiectum infinitum ac

actum purum, quod cum operatione finita & potentiali potest habere proportionem & convenientiam in ratione spiritualitatis.

SECTIO II.

Utrum anima rationalis sit immortalis.

Explicata, & probata immaterialitate animæ rationalis, non erit difficile probare perennem illius vitam, & imperium morti substantiam; quam esse fidem Christianorum eleganter monet Tertullianus lib. de resurrectione carnis. Et sanè fundamentum hoc videtur esse omnis virtutis ac sapientiae, si persuadeat sibi quisque, non finiti morte vitam, sed inchoati; nec cessare hominem esse, dum desinit in hac carne vivere; infinita superesse sæcula post hoc sæculi somnium, in quo sic vivimus, ut ad eternitatem erudiamur.

Et magnam hanc colligamus ex tota Philosophiæ sapientiam cum Ambrosio, cuius illa præclara vox est: *Didici nihil in lucro ponere, nisi quod æternæ vitæ sit.*

Ante omnia igitur observo cum Suarez lib. 1. de Angelis, & lib. 1. de anima, cap. 10. tripliciter posse dici aliquid immortale. Primò, quod nulla planè vi corrumpi possit ac destrui; hæc immortalitas solius Dei propria esse potest. Secundò, quod ex sua natura est tale, ut nulla planè vi creata possit destrui, sed exigit perpetuò esse, licet sine dubio possit à Deo ipso destrui, si faciat contra talis rei exigentiam; illud vocatur immortale ex sua natura. Tertiò, immortale dici potest, quod licet non exigit ex sua natura semper esse, diuino tamen manere huiusmodi est, ut à nullo possit corrumpi agente naturali. Huiusmodi fuisse Adam si perseverasset in statu innocentiae. Prima immortalitas essentialis est; secunda naturalis; tertia gratuita.

Non quaeritur, utrum essentialis illa immortalitas animæ comperat, quam Deus sicut è nihilo eduxit, sic reducere potest in nihilum; sed difficultas est, utrum conveniat illi naturalis immortalitas & ab intrinseco, ita ut ex principiis naturæ suæ semper exigit esse; an verò ex sola gratia semper futura sit. Versantur in hoc argumento tam necessario, tam mirabili Augustinus lib. de immortalitate animæ, Tertullianus lib. de anima, Sidonius lib. de morte contemnenda, Petrus Gregorius, Cardinalis Contarenus, Lessius opusculis de immortalitate animæ. Theologi communiter in 4. disp. 43. & cum S. Thoma 1. p. q. 75. art. 2. §. 6. & lib. 2. contra Gentes, cap. 50. §. 70. Cum quibus, & aliis pluribus.

Certissimè tenendum est, animam rationalem ita esse immortalem, ut ex sua natura exigit nunquam desinere, idque demonstrari etiam naturali ratione. Quam ego certissimam veritatem ut demonstrarem clarissimè, primùm id probo tum divina, tum humana auctoritate; secundò ex rationibus tum moralibus, tum physicis, à priori & à posteriori. Quæ sanè omnia tam certa, tam fundata sunt, ut persuadere firmiter possim, nullam esse animæ mortem in ipsa morte.

S. I.

Prima probatio immortalitatis animae, auctoritas diuina.

Primo ergo cui certius de anima quam Deo ipsi credi potest! Fides videlicet christiana diuinis nixa testimoniis de immortalitate animae tria sancit.

Primum fidei decretum, animam esse immortalem.

Primum est, non desinere vitam animae moriente corpore, sed in perpetuum illam duraturam; sic enim docent innumera testimonia Scripturarum: *Iusti autem in perpetuum uiuent, & apud Dominum est merces eorum. Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Anima Lazari translata est in sinum Abrahæ, anima uero Diuitis epulonis sepulta in inferno, ibique uiuens & loquens, ut rectè ponderat Irenæus lib. 2. cap. 46. Et rursum de impiis dicitur, quod ubi ceciderit arbor, ibi erit.

Neque obstat quod Sapientia secundo dicitur cinerem esse corpus nostrum, & diffundi spiritum tanquam aërem; hæc enim non Dei, non Sapientum, sed impiorum vox est, qui coronant se rosis, & lasciuire ad breuissimum tempus uolunt, neque credere uolunt aliam vitam, ne suam fateri cogantur insaniam, Capite quoque tertio Ecclesiastæ dicitur, unum esse interitum hominis, & iumentorum. Sed ibi sermo est de homine ipso, qui animam constat & corpore; unde statim subditur: *Antequam reuertatur puluis in terram suam, & spiritus ad Deum qui fecit illum.* Fuit etiam illa quondam hæresis Arabiorum, credentium, ut ait Augustinus lib. de hæresibus, hæresi 83. extinguí animam, non separari, quos in magno quodam Concilio conuictos esse ab Origene narrat Eusebius lib. 6. historia, cap. 26. Stat enim certa & inconcussa ueritas contra stultissimum hunc errorem. *Quis nunc, inquit Augustinus epist. 3. ad Volusianum, est extremus idiota, uel qua muliercula, quæ immortalitatem animæ non credat, uitamque post mortem futuram.*

Secundum fidei decretum, esse immortalem ex sua natura.

Secundò fide certum est, animam non ex gratia solum omnino extrinsecam, sed ex sua etiam natura, & intrinsecam exigentia immortalem esse. *Nolite timere, inquit Christus, eos qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere.* Sic etiam definitur in Concilio Lateranensi sub Leone X. confirmatque Cocciius 1. parte Theauri, lib. 1. art. 2. ex uariis Scripturis, Conciliis & Patribus; *Anima, inquit Claudianus Mamertus, sine corpore uiuit melius; istud sine illa nec peius.* Neque contradicit VI. Synodus approbans epistolam Sophronij, ubi dicitur animam immortalem esse, non naturam, sed gratiam; significatur enim ibi tantum, quod anima non ita est immortalis essentialiter, ut non possit à Deo ipso destitui.

Tertium fidei decretum, posse demonstrari.

Tertiò credi etiam fides iubet, immortalitatem hanc animæ posse naturali aliqua ratione probari demonstratiue; sic enim ferunt uerba Concilij Lateranensis; unde merito damnatur erroris Pomponacii apud Contarenum lib. 1. de immaterialitate animæ, censens contrariam esse rectæ Philosophiæ animæ immortalitatem. Damnatur etiam Scaliger, negans alias afferri posse rationes quam probabiles. Scotus autem negauit dumtaxat id esse hæcenus demonstratum, non negauit posse demonstrari. Et sanè omnis proprietas necessariò conueniens alicui subiecto, de illo subiecto est demonstrabi-

lis: immortalitas animæ proprietas est animæ, ut dixi: ergo de anima demonstrari potest, quamvis de fide non sit quod hæcenus fuerit demonstrata.

S. II.

Secunda probatio, auctoritas humana.

Secundò auctoritati diuinæ accedit suffragium commune omnium Sapientum, & alicuius notæ Philosophorum, imò consensus omnium gentium. Quæ sanè uidetur esse vox ipsius naturæ, cui contradicere sine summa dementia nemo potest.

In primis enim vindicandus est à calumnia Princeps Philosophiæ Aristoteles, quem mirum est à tot Patribus & Philosophis uocatum esse in crimen negatæ immortalitatis animarum; sic enim aiunt Nazianzenus orat. 13. Iustinus, in panegyri, sub initium. Nemesius lib. de homine, cap. 2. Theodoretus lib. 5. contra Græcos, Nicetas lib. 4. Theophrasti, hæresi 40. Nyssenius lib. de anima, ad Macrinam, sub medium, Aeneas Gazæus dialogo de immortalitate animæ, Atticus quidam Platonici apud Eusebium lib. 15. demonstrationis, Lactantius lib. de resurrectione carnis. Idem illi tribuunt Plutarchus lib. 5. de placitis, cap. 2. & Alexander lib. 3. de anima, eodem in errore illi consentiens sicut & Aristogenes & Diehardus auditores Aristotelis, ut refert Picus lib. 4. examinis, cap. 4. Ex Scholasticis Caietanus lib. 3. de anima, cap. 1. de intellectu agente, Mariana lib. de immortalitate animæ. Scotus autem, Durandus, Heruæus & pauci alij uolunt dubitasse Aristotelem. Subscribunt Carpentarius disp. 10. in Alcinoium, Canus lib. 12. de locis.

Aristoteles accusatur à multis.

Pugnant uero pro Aristotele S. Thomas lib. 1. Ab alijs de anima, lect. 2. & sæpè alibi, Eugubinus lib. 9. de perenni Philosophia, cap. 8. Villalpandus apologia de immortalitate animæ, Palatius lib. 3. de anima, cap. 4. q. 1. Albertus tract. 2. de anima, cap. 20. & tract. 3. cap. 13. Mirandulanus lib. 21. Monomachia, & lib. 11. assert. 6. Iauellus tract. de insufficiencia animæ, part. 1. cap. 1. Contarenus lib. 1. de anima immortalit. Suarez lib. 1. de anima, cap. 11. Toletus lib. 3. de anima, quaest. 15. Albertinus corollario 14. ex primo principio philosophico n. 37. Et magistrum suum ab hoc errore purgant Theophrastus & Heruæus discipuli Aristotelis; eiusdem etiam Interpretes Simplicius, Philoponus, Ammonius, Olympiodorus, Auerroës, Aui-cenna.

Sed omnium optimè pugnat pro se Aristoteles, cuius expressissima uerba clarè indicant, quàm immerito accusetur tantus uir tantæ ignorantie.

Quatuor eius testimonia.

Primum ergo Aristotelis testimonium sit tertio de anima, cap. 4. & 5. ubi docet intellectum non esse corpori permixtum, & neque calidum, neque frigidum, sed carentem organo, idque fusè probat. Imò textu 20. clarè dicit, intellectum post corpus manere.

Secundum testimonium habetur secundo de anima, textu 21. ubi dicit intellectum esse genus tertium animæ, distinctum à vegetatiuo, & sensitio, à quibus etiam possit separari, sicut perpetuum à corruptibili.

Tertium testimonium ex lib. 1. de anima, textu 66. ubi asserit quod amare, cogitare, ac similia destruuntur cum corpore; at intellectus est quid diuinum & impassibile.

Quartum

Quantum denique testimonium ex 12. *Metaphysica*, textu 17. ubi dicit, mentem & animam intellectuales esse non posse ante corpus, sed manere tamen nihil prohibet, quia separatam habent actionem à corpore.

Explicata
quæ ob-
ici solent
Aristoteli.

Quæ sanè omnia perspicue demonstrant quid senserit Aristoteles, cum aduersus ipsum nihil afferri soleat, in quo clarè dixerit, animam mortalem esse; sed vel loquutus duntaxat fuerit de formis materialibus, non autem de hominis anima, ut cum dixit 2. *Physicæ*, textu 12. formam esse naturam, & non esse separabilem à materia: quarto etiam *Physicorum* negat formam esse locum, quia locus à locato separatur, cum tamen forma non separatur à materia; vel etiam vult totum hominem mortalem esse, non autem animam, ut 12. *Metaphysicæ*, ait quod Deo inest perpetuè felicitas, nobis autem paucò tempore: & tercio *Ethicorum*, cap. 6. ait timere virum fortem in vitæ periculo, quia mors est ultimum terribilium, & mortuo nihil boni aut mali accidere videtur.

Difficilius videtur primò quod ait Philosophus lib. 1. de anima, quod si intellectio non fit sine imaginatione, anima non est separabilis: certum autem est, quod sine imaginatione non fit intellectio: ergo ex Aristotelis sententia anima non est separabilis.

Secundò distinguit lib. 3. de anima, cap. 5. intellectum agentem ab intellectu possibili, quem ultimum ait esse corruptibilem.

Tertiò ait lib. 2. de generatione & corruptione, cap. 3. animam non solum vegetatiuam, & sensitivam, sed & rationalem contineri in potentia materiæ.

Quartò reprobatur primo *Ethicorum*, cap. 2. Solonis sententiam dicentis, hominem felicem non esse, nisi post mortem: improbat autem quia felicitas in operatione posita est, post mortem autem nulla est operatio.

Ad primum respondeo, intellectiorem quidem in corpore non fieri sine imaginatione, fieri autem extra corpus. Verum ergo esset, quod si anima nec in corpore, nec extra corpus posset sine imaginatione intelligere, non esset separabilis, cum extra corpus non posset operari.

Ad secundum respondeo Philosophum nomine intellectus passui significare ipsum intellectum prout mouetur à phantasia; sub ea enim consideratione perit percunte corpore; sed non perit tamen absolute.

Ad tertium respondeo animam rationalem contineri quidem in potentia materiæ receptiuæ, non contineri autem in potentia sustentatiuæ; nam recipitur anima in corpore, sed ab eo non sustentatur, quia existere potest sine illo.

Ad quartum respondeo negare Aristotelem, quod vlla supersit hominis ipsius operatio post mortem; non negare quod non supersit operatio vlla ipsius animæ.

Reliquorum
suffragia.

Addebam secundò, Philosophos omnes, omnium temporum alicuius nominis stetit pro immortalitate animæ, ut optimè tradit Eugubinus lib. 9. c. 9. Primò enim Platonem in ea fuisse sententia probant manifestè Faustinus lib. 2. & 3. de immortalitate animæ, Carpentarius digressionem 10. in Alcironum, Eusebius lib. 11. preparationis, c. 14. Deinde idem censuere Thales apud Laërtium, & Pythagoras, quem Draydarum Gallorum fuisse discipulum asserit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Idem quoque tenuere Trismegistus, Epictetus, Aratus, Chaldaei, Ægyptij, Persæ, indè & Indi, quo-

rum Sapientes, seu Gymnosophistæ sepulchrum appellat in cunabula, mortem ortum ad vitam, ut docent Strabo & Laërtius, aded ut apud Laërtium in heroicis dicat quidam vinitor, tunc animam primùm viuere, cum vinculis soluitur corporis.

In hac sententia fuere Authores omnes etiam Ethnici, qui narrunt animarum reditum post mortem, vel mortuorum suscitationes: v. g. interemptus Achilles matris precibus reuocatur ad vitam apud Ptolemaum Ephesionem. Filiam cuiusdam primo die nuptiarum mortuam, ac deinde ad vitam reuocatam narrat Glycas lib. 2. Accedunt Poetæ, quorum primus Orpheus de immortalitate animæ mira dixit, & de præmiis referatis illi post mortem. Apud alios Dercyllis ancilla duce lustrat inferos, doceturque immortalitatem animæ, sed serò nimis, ut refert Antonius Diognes apud Photium. Dabunt plura huiusmodi Delsio & Le-loyer.

Soli negant impij & ignari animam esse immortalem; nec enim vult improbus animam immortalem esse, inquit Plotinus, ne ad conspectum æqui iudicis querendus veniat: quia malunt, inquit Minutius Felix, extingui penitus, quam ad supplicia referuari.

Denique addebam, omnes Gentes, omnium temporum Regna, Respublicas, Nationes in hoc consensisse, ut immortalitatem animæ certam esse omnino sibi persuaderent; quæ sanè, ut dixi, vox est ipsius naturæ: nam ut taceam populos illos, qui doctrinâ & legibus, ac optimis moribus exculsi fuerunt, gentes etiam immanitate barbaras peruasit hæc opinio, animas hominum cum corporibus non extingui; quod constat ex cura sepulchrorum, quia censabant errare animas donec terræ condita essent earum corpora. Deinde constat ex variis ritibus circa mortuos, v. g. quod eorum corpora ornarent candidis vestibus, quorum animas sequi non valebant; quod in compitis rubæ personarent, ut significarent euolasse in cælum animas.

Gallorum Druydas certum est opinionem de immortalitate animæ non tantum credidisse, sed etiam latè disseminasse, ut testantur Diodorus lib. 4. & Ammianus Marcellinus lib. 15. Gothicæ gentes omnes ac Vandalicæ apud Procopium lib. 1. aiebant non interire se cum à corpore auellerentur, sed solum diuertere, ac transire ad Zamolxim, unde ad eum annis singulis legatum decernebant, cuius fidei credebant omnia quæ à Deo suo consuequi optabant, ut narrat Olaus lib. 3. cap. 6. Guineensibus etiam ipsis mos fuit defunctorum corpora propriis in ædibus humare, ac variis ornare monilibus, rati animas hinc potissimum gloriari, ut refert Ferdinandus Lopes lib. 1. historia Japonij. Apud Massæum lib. 12. quotannis defunctorum memoriam celebrant mense Augusto, turmatimque illis obuiam procedunt, ubi se visuros illos exstima-
E

Mira sunt quæ de Tunquinesibus & Cocinensibus narrat fidelis earum rerum scriptor & testis Pater Alexander de Rhodes, frater meus optimus, qui annis trigintaquinque diuersatus est inter illas gentes, eisque lucem euangelij attulit, baptizatis manu sua hominibus quinquaginta milibus. Refert autem accuratè quanta sollicitudine demortuos parentes curent, epulas eis apponant diebus quadraginta, instaurant anniuersarios dies mortis eorum annis singulis ad plures generationes.

Ex qua ratiocinatione omnino constat, tenuisse immortalitatem animæ hæcenus omnes viros doctos

doctos, omnes bonos, imò etiam omnes gentes, ut videas hanc esse vocem totius sapientiæ, totius virtutis, totius naturæ; quod certè luculentum est argumentum aduersus omnes Epicuri de grege porcos, qui mortem animarum persuadere sibi ac aliis voluere. Mirum est sanè, Plinium lib. 2. cap. 7. & lib. 7. cap. 55. & Senecam lib. de consolatione ad Martianum, cap. 19. & epist. 54. imò & Stoicos, teste Theodoro, scripsisse animas humanas emori cum corporibus: ergo vix crediderim tantis ingeniis tantam insaniam obrepere serio potuisse.

§. III.

Tertia probatio, rationes morales.

Authoritati tam graui, & tam multiplici, diuinæ scilicet ac humanæ accedunt plurimæ ac firmissimæ rationes, primum morales, deinde physicae.

Dei prouidentia.

Prima sit moralis demonstratio, quam S. Clemens accepisse se narrat ex ore ipso sancti Petri. Si Deus iustus est, anima est immortalis; Deum autem iustum esse omnes sciunt qui fatentur Deum esse: animam ergo immortalem esse fateri omnes tenentur. Antecedens expendit egregiè Chrysostomus homilia 4. de prouidentia, & in Psalmum 111. circa illa verba, *Misericors, & miserator & iustus dominus*. Primum enim si iustus est Deus, non debent viri iusti esse improbis miseres; si autem cum corpore moriatur anima, certum est viros probos & virtutis cultores miseres esse quàm impios; florent enim saepe gloriâ & diuitiis viri pessimi toto vitæ tempore, cum tamen lateant iusti homines, morbis, ærumnis, inopiâ confecti. Quomodo iustus & prouidens esset moderator omnium Deus, si hostes suos, virtutumque contemptores sineret ita beatos esse; suos autem amicos calamitatibus opprimeret? neque tamen alia superesset vita, in qua tum boni, tum mali pro meritis acciperent præmia, vel penas darent; quando videlicet unicuique assignabit domicilia sua, ut ait Cyprianus orat. de mortalitate.

Deinde manca, imò nulla esset Dei prouidentia, si pateretur genus hominum esse miserius ac infelicius ipsi brutis: esset autem miserius, quia certum est brutas animantes non confici tot eutis, tot morbis, tot infortuniis, tot miseriis, quot homines ipsi cruciantur; ergo necesse est homines alteri vitæ reservari. Probatur maior, quia quo est alicuius conditio præstantior & dignitas honorabilior, eo debet præstare aliis in fruitione bonorum: ergo cum homines præstantiores sint brutis, necesse etiam est ut sint beatiore: non sunt autem in hac vita, quia bruta satietatem ferè habent omnium desideriorum, hominum appetitus semper in motu est; sine cura in fruendo bono sunt pecudes, homo inter ipsas etiam delicias, vel fortunæ cogitat inconstantiam, vel ad aliquid amplius aspirat, pacem in seipsis habent, homo semper secum rixatur, propter dissidia partis superioris & inferioris. Feliciore ergo in hac vita sunt bruta, quàm homines, propter satietatem, securitatem, quietem.

Ex parte ipsius hominis.

Secunda demonstratio moralis petitur ex difficultate virtutis, quam adipisci tenentur homines; sic enim argumentor. Natura in necessariis non deficit: ut autem ad virtutem capefendam potentius homines mouerentur, quæ sensui tantoperè repugnat, necessaria omnino fuit persuasio immortalitatis.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A mortalitatis; vix enim aliquis vllus esset, qui cum impiis non diceret cap. 2. Sapient. *Exiguum & cum radio est tempus vita nostra; & non est refrigerium in fine hominis; venite ergo, fruamur bonis quæ sunt, & viamur creatura in inueniute celeriter*. Et sanè proficitur id de se Augustinus lib. 6. confessionum, cap. vltimo. *Disputabam*, inquit, cum Nebridio & Alipio de finibus bonorum & malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissim post mortem restare animam vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. Deinde si anima corporea est, conueniens illi est studere corporis commodis, & disconueniens illi est affligere carnem; sicut bruta non debent diligere corporis incommoda: atqui honestum est fugere delicias corporis, & eius incommoda quærere: igitur corporea & mortalis non est eius anima. Denique si totus homo morte ipsa exstingueretur, nihil esset quod homo æquè horrere deberet ac mortem; mors enim corporis esset summum eius malum, cum nullum relinqueret ei bonum; vita verò esset summum bonum, nihil igitur ei esset æquè amandum ac vita, nihil magis pertimescendum quàm mors; neque vlla esset causa propter quam honestum homini esset mori, non patria, non respublica, non parentes, non amici.

Tertia demonstratio sit, quia id quod est omnis religionis, omnis probitatis, iustitiæ, innocentiae, sanctitatis, non potest esse falsum, alioqui fabulae sunt & mendacia omnia præcepta virtutis, & omnis vana est honestas. Immortalitas huiusmodi fundamentum est; sic enim argumentor. Obligamur omnes naturæ lege ad non deferendam vnamquam virtutem, & officium, proposita etiam quauis pœnâ; non possumus autem ad id obligari, nisi conueniens habeamus incitamentum ad ridenda fortunæ tela, vel in bonis huius vitæ, vel in bonis futuræ: non habemus in huius vitæ bonis fundamentum sufficiens, v. g. ut mater Machabæorum filios suos permittat improbitati, ut aliquis pro patria occumbat: ergo debemus habere in bonis futuræ vitæ. Denique illud dogma esse non potest verum, quod è vita tollit omnem virtutem, & inducit omnem spurcitiam & impuritatem: atqui dogma quod animam statuit mortalem esse, subuertit fundamentum omnis probitatis, & tribuit licentiam omnium scelerum: ergo illud falsum est. Vide Lessium num. 30.

Ex parte virtutis.

Quarta denique demonstratio sit, quia homo ex sua natura capax est finis alicuius vltimi, quem aliquando assequatur, eoque satietur: illum non consequitur in hac vita: ergo illum necessariò consequi potest in altera. Hæc ratio grauissima est, cuius prima propositio probari solet in morali; minorem autem probant continuæ calamitates huius vitæ, cupiditatesque hominis insatiabiles, & quod breuissimo huius vitæ tempore vix vllus perfectam vnamquam sapientiam assequatur.

Finis vltimus.

§. IV.

Quarta probatio, physica rationes à priori, & à posteriori.

Prima & grauissima demonstratio sit spiritualitas ipsius animæ probata sectione superiori. Sic autem proponitur.

Omnis substantia immaterialis est immortalis; anima rationalis est immaterialis: ergo est immortalis. Maiorem ab omnibus hæcenus admissam,

Vu

missam,

missam, negare tamen videntur quidam Recentiores. Probatum autem clarissimè, quia rei annihilatio est naturaliter impossibilis, sicut & creatio ex nihilo: sed si anima immaterialis desinere esse dum homo moritur, anima annihilaretur: ergo si anima est immaterialis, est etiam necessarium immortalis. Probatum minor. Tunc aliquid annihilatur, quando ita desinit, ut non restet subiectum in quo sustentabatur: sed non superesset subiectum vllum in quo sustentaretur anima, si sit spiritualis: ergo annihilabitur anima spiritualis si desinat esse dum moritur corpus.

Deinde quidquid esse desinit, vel est ex defectu subiecti, vel ex introductione contrarij, vel ex defectu causæ conseruantis: anima si est spiritualis, non perit ex defectu subiecti, nec ex introductione contrarij, nec ex defectu causæ conseruantis: ergo nullo modo perit anima.

Præterea idem materia prima est incorruptibilis, quia est independens à subiecto, & est ens permanens: substantia spiritualis independens est à subiecto, & est ens permanens: ergo substantia spiritualis est necessariò incorruptibilis; neque aliter probari solet, quod Angeli sint immortales, nisi quia sunt immateriales.

Obiicitur. Sonus & impetus, imò & habitus conseruantur à solo Deo, & tamen desinunt sine vllò defectu subiecti, & sine introductione contrarij: ergo aliquid quod conseruatur à solo Deo desinere potest ex solo defectu conseruationis, quamuis non desinat ex defectu subiecti vel introductione contrarij. Eodem ergo modo desinere potest anima spiritualis, etiam si non pendeat à subiecto, quia exigit non conseruari amplius à Deo, sicut impetus & sonus.

Respondeo, posse quidem aliquod accidens desinere ex defectu causæ conseruantis, à qua non exigit amplius conseruari; non posse vllam substantiam, præsertim spirituales, eo modo desinere: quia si substantia spiritualis eo modo desineret, naturaliter esset possibilis annihilatio; desinitio autem accidentis, qualis est impetus & sonus, non est annihilatio, cum pendeant à subiecto, quod manet ipsis desinentibus.

Secunda demonstratio est à posteriori; nam si anima mortalis esset, & penderet à corpore, non posset senum maior esse sapientia tunc cum imbecillius est corpus; non posset esse in anima synderesis contraria legibus carnis; non posset esse animæ opera immortalia. Et tamen maior est senum sapientia, in quibus experimur omnia senescere præter sapientiam: synderesis domesticus monitor docet carni repugnandum esse: opera demum hominum immortalia sæpe sunt, præsertim scientiarum, quarum pulchritudo nulla vetustate deflorescit, nulla temporum iniuriâ veterascit.

Denique idem à posteriori etiam demonstrant crebri reditus animarum, quorum commemoratione plena sunt sapientissimorum hominum scripta? Quis non credat Augustino, Gregorio Magno, & aliis huiusmodi viris grauissimis & sanctissimis tam certò, & tam sæpe narrantibus varias apparitiones animarum? Aut non est summa illa imprudentia, mendacij arguere homines adeò prudentes? Vide quæ habet Augustinus *epistola* 100. Gregorius in *dialogis*, Baronius *tomo quarto*, loquens de Synesio & Marfilio Ficino. Multa dabunt eam in rem Lessius *num.* 48. Delrio *lib.* 2. *disquisit.* 9. 16.

Concludo colligens quatuor, ea probationum

A genera quæ attuli, & quæro, vtrum certa, fundata, fixa sit animæ immortalitas, quam auctoritas diuina sancit, auctoritas humana fulcit, tot rationes naturales persuadent, tot physica assueant. Quid ais, stulta temeritas? omnibus à suprema die fors eadem est, quæ ante primam; nec magis post mortem sensus vllus est corpori aut animæ, quàm ante natalem. Quæ malum ista dementia est, finiri morte animæ vitam, quam contemnere mortem iubet? eripere post mortem virtutum præmia, quæ pollicetur inferiorem pecudibus facere animam, per quam Deo cognatus es? corpoream facere, quæ res corporeas iubetur abiicere. Tunc anima, morte finienda es, quæ temetipsam ad æterna extendis? Tunc sepulchrali claudenda cespite, quæ cælum cogitas? Tunc immortalitatis priuanda es hæreditate, cuius tibi diuino testamento emancipatæ nuncupator Deus est, resignatrix fides, libripens ratio, testes sapientum omnium voces, omnium bonorum consensus, omnium suffragia populorum.

SECTIO III.

Vtrum anima rationalis informet corpus; quomodo in eo producatur, & extendatur.

Dicitur communiter Platonem voluisse animam rationalem assistere quidem corpori, cui secundum solam operationem vniatur; sed non esse formam informantem, quæ secundum se vnitur materiæ. Turpius etiam errant Aurores & Themistius, dicentes animam rationalem in omnibus hominibus esse vnicam, assistentem, non informantem, per quam circa vniuersalia discurreret, cum per aliam purè corpoream sentiret & discurreret circa particularia.

Ratio autem dubitandi esse potest, quia inter materiam & formam debet esse proportio: inter corporeum & spirituale nulla est proportio: ergo anima spiritualis non est forma materiæ, alioqui accidens etiam incorporeum recipi posset in subiecto corporeo. Deinde quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur: ergo si anima in corpore recipitur, modo corporeo recipitur.

Secundò. Forma naturalem habet appetitum ad materiam: anima spiritualis non habet naturalem appetitum ad corpus, alioqui non posset sine violentia existere separata à materiæ; & tamen anima in statu separationis non patitur violentiam, quia nullum violentum perpetuum est; status autem ille separationis ex sua natura esset perpetuus. Denique anima non potest habere inclinationem ad id à quo impeditur præcipua operatio animæ: per corpus impeditur intellectio, quæ præcipua est operatio animæ: ergo anima spiritualis non habet inclinationem ad corpus.

Tertiò. Omnis forma, quatenus forma, operationes habet pendentes à materiæ: anima rationalis, quatenus spiritualis, non habet operationes pendentes à corpore: ergo anima rationalis, quatenus spiritualis & rationalis, non est forma corporis. Imò, anima non dat corpori esse rationale: ergo anima non est forma corporis propter esse rationale; corpus enim non ratiocinatur.

Dico primò, animam rationalem esse vniuersalem formam corporis, etiam quatenus est rationalis.

Prima